



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1650**

§. 6. Calumnia à Iudæis Christo impacta & vindicatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)



Dan. 13.  
60.

uerunt. Testes erant omni exceptione maiores; cum quibus loquebatur veneratio senectutis, auctoritas magistratus; denique, qui iudices fuerant, facti sunt accusatores. Ergo vndique deserta ad eum solum confu-  
git, qui verè nouerat innocentem. *Exau-  
diuit igitur Dominus vocem eius, & excitauit  
Danielem, à quo mendacij conuicti falsi  
calumniiosiq; testes iustam calumniae mer-  
cedem retulerunt. Exclamauit itaq; omnis  
cœtus voce magna, & benedixit Deum, qui sal-  
uat sperantes in se. Et consurrexerunt aduersus  
duos presbyteros (conuicerat enim eos Daniel ex  
ore suo, falsum dixisse testimonium) feceruntq;  
eis, sicut malè egerant, aduersus proximum, ut  
facerent secundum legem Moysi; & interfecerunt  
eos: & saluatus est sanguis innoxius in die  
illa. In alto virtutis gradu erat innocens Su-  
fanna: fenes in profundo iacebant peccato-  
rum; vnde illam calumniâ, velut saxo  
petebant, saxi ipsi digni; hinc ea ex alto in  
capita illorum reuolarunt, Sufannâ intactâ,  
vt fieret, quod dicitur: *Qui in altum mittit  
lapidem, super caput eius cadet.**

Eccli. 27.  
28,

§. VI.

*Calumnia à Iudæis Christo imposita, & vin-  
dicata.*

Fuit



Fuit & Chriſtus lapis angularis, quem Iudæi in altum miſerunt, cum eum ſuſtulerunt in crucem, multis magniſque & contumelijs & calumnijs affectum; qui in caput eorum cecidit. An non enim calumnia fuit, quando cœperunt illum accuſare, dicentes: *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe?* Quæ falſiſſima accuſatio, apud Pilatum plurimum ualebat, cupientem utique & regnum, & tributum Cæſari ſeruare indemne. Poterat hæc calumnia refelli ipſorummet teſtimonio, à quibus interrogatus Chriſtus, Vtrum liceret cenſum dare Cæſari, reſponderat diſertè: *Reddite qua ſunt Cæſaris Cæſari; & qua ſunt Dei, Deo.* Teſtes quoque Romani erant, aut Iudæi Publicani, qui Cæſaris vectigal colligebant, Chriſtum non ſolum ſoluendum Cæſari tributum docuiſſe, ſed ipſum quoque ſolitum ſoluere. Nam cum ueniſſent Capharnaum, acceſſerunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: *Magiſter veſter non ſoluit didrachma?* Ait: *Etiams.* Poſtea tamen oſtendit ſeruator, ſe ad tributum ſoluendum non obſtringi, nihilominus dixit Petro: *Ut autem non ſcandalizemus*

Luc. 23

2.

Matth.

23. 17.

ib. v. 27.

Matth. 17

23.



eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum  
 piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto  
 ore eius inuenies staterem: illum sumens, da ei  
 pro me, & te. Adeò non solùm pauper erat,  
 vt nec staterem secum tunc haberet, sed eti-  
 am circumspectus, vt vel miraculum facere  
 mallet, quàm negato censu alios scandali-  
 zare. Et tamen Iudæi, repugnante licet con-  
 scientia, per summam iniuriam, & malitiam  
 Christo obijciunt odiosum crimen, quod  
 scirent, eò verosimilius Præsidi videri posse,  
 quòd Herodianorum tunc secta vigeret,  
 qui dicebant, non licere Iudæis regi alieni-  
 genæ tributa pendere: itemque colorem ad-  
 debant, quando dixerunt, eum sese tam-  
 quam regem iactare. Si enim rex erat, du-  
 bitari non poterat, quia tributa Cæsari dan-  
 da negaret. Ob has tales calumnias clama-  
 uerunt iterum iterumque: *Crucifigatur.* Vt  
 vocem igitur, ita & ipsum Saluatorem: tam-  
 quàm lapidem sine manibus excisum in altum  
 miserunt; qui super capita eorum cecidit,  
 eosque grauissimè percussos contriuit. Quod  
 ipse ait, palam prædixit futurum illis verbis:  
*Numquã legistis in Scripturis: Lapidem, quem  
 reprobauerunt adificantes, hic factus est in caput  
 anguli? A Domino factum est istud, & est mi-  
 rabile*

Matth.  
 27, 23.

Matth.  
 21, 42.  
 Psal. 117.  
 22.



rabile in oculis noſtris? Ideò dico vobis, quia au- Act. 4. 11.  
 feretur à vobis regnum Dei, & dabitur genti Rom. 9. 3  
 facienti fructum eius. Et qui ceciderit ſuper 1. Pet. 2. 7.  
 lapidem iſtam, confringetur: ſuper quem verò  
 ceciderit, conteret eum. An non contriti ſunt  
 calumniatores Iudæi, quando à Tito & Ve-  
 ſpaſiano obſeſſa eſt Hieroſolyma? an non  
 omnia paria illis reddita? an non & alibi  
 hoc prædixit? Luc. 23. 27. 27.  
 Sequobatur illum multa turba Luc. 23.  
 populi, & mulierum, quæ plangebant, & la-  
 mentabantur eum. Conuerſus autem ad illas  
 IESVS, dixit: Filie Ieruſalem, nolite flere ſuper  
 me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios ve-  
 ſtros. Quoniam ecce venient dies, in quibus di-  
 cent: Beata ſteriles, & ventres, qui non genuerunt,  
 & ubera, quæ non lactauerunt. Tunc in-  
 cipient dicere montibus: Cadite ſuper nos, &  
 collibus: operite nos. Quia ſi in viridi ligno hæc  
 faciunt, in arido quid fiet? Et ſcimus, quid  
 factum ſit, malum pro malo, non iniuria,  
 pro iniuria eſt reddita. Ex ore ſuo iudicati  
 ſunt Iudæi. Clamauerunt enim: Matth.  
 Sanguis 27. 25.  
 eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros; id eſt,  
 nos, & filij noſtri, ſiqua in hæc accuſatio-  
 ne calumnia, aut condemnatione iniuſtitia  
 eſt, præſtabimus: nos poenam læemus. Et  
 luerunt inſigniter, tempore excidij Ieroſo-  
 lymitani,



Ioseph.  
lib. 7. de  
bell iu-  
daico. c. 8.

Luc. 23. 30  
Eccli. 27.  
38.

lymitani, quo nonnullæ matres suos edentes  
infantes coactæ sunt, quemadmodum Iose-  
phus testatur. Et vox est extrema patienti-  
mala, qui mori vellent, nec possunt, dolo-  
risq; magnitudine victi montibus clamant  
*cadite super nos.* Non ergo tunc tantum la-  
*pis super caput* calumniatorum, sed tot  
montes si cecidissent, melius eis fuisset  
quàm eam pati calamitatē. Vnde videant  
qui calumnijs alios euertunt, quæ eos ma-  
neat calamitas, si non in hac vita, saltem in  
futuro iudicio. Enimuerò videant, quantum  
sit flagitium calumnia. Si enim Deus non  
punit ultra meritum, sed citra, vt Theologi  
docent, & tamen tam seuerè punit calum-  
niantes, potest vtique ex pœnæ atrocitate  
intelligi sceleris magnitudo.

§. VII.

*Narcisci Episcopi calumniatores suis imprecationibus puniti.*

Euseb.  
lib. 6. hist.  
c. 7.

Hæc, vt homines à calumnijs deterreat,  
ex ipsis pœnis à Deo inflictis agnita, in causa  
facta est, ne pœna semper in alteram vitam  
differatur, sed in terris quoque detegat calum-  
niarum fabros. Narrat Eusebius, Nar-  
cissum Hierosolymitanum Episcopum à tribus  
falsis testibus de infami crimine fuisse  
accusa-